102

1511. 4. Julij

Sigism: I. Rex Poloniae Civibus Cameneceny:

Iam pridem comisimus Vobis mandantes, quatenus munitioni et reformationi Civitatis in locis oportunis ex consilio Capnei operam daretis, ut successive reformando, sine Nro incommodo et difficultate Civitatem Nram instauraretis et securi esse ab hostili impetitione possetis. Sed quoniam intelleximus Vos mandata Nra hactenus parum novisse, displicet Nobis. Volentes tamen, ut dum tempus commodum adest Civitas ipsa reformetur. Mandamus iterum Vobis ut omni dilatione posthabita, iuxta consilium Capnei in locis oportunis Civitatem ipsam muniatis. Nam ubi secus feceritis indignatione Nra non carebitis. Et jam Capneo Nro commisimus, ut Vos ad id faciendum compellat. Datum 4. Julij 1511.

Kamieniec